

CASUS

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII

SEU

De potestate dispensandi; de causis dispensationis; de obreptione et subreptione in petenda dispensatione; de errore in postulato, vel responso; de matrimonii revalidatione.

CASUS I.

DE POTESTATE DISPENSANDI.

1° SYNESIUS et FLAVIA, in quarto gradu affinitatis conjuncti, et diversæ diœcesis, matrimonium ineunt, obtenta dispensatione a solo sponsi Episcopo, facultatem dispensandi in tali gradu ex indulto Pontificio habente. Postea autem Parochus, qui nuptias benedixit, dubitat de matrimonii valore.

2° ANACLETUS, Parochus, sponso in Ecclesia jamjam conjuncturus, detegit ipsos affinitatis impedimento obstrictos esse. Quid consilii capesset? Conjungetne illos cum impedimento dirimente? aut e contrario eos, cum magno adstantium vel totius parochiæ rumore et scandalo, dimittet? Eum undique premunt angustiae. Quid tu ejus loco fecisses?

HINC :

- QUÆR. 1° *Quis dispensare possit in impedimentis matrimonii?*
2° *An quandoque Episcopus, urgente gravissima causa, dispensare valeat?*
3° *An validum fuerit matrimonium SYNESII et FLAVIÆ in primo casu?*
4° *Quid Parochus facere debuerit in secundo casu?*

SOLUTIO :

1033. — *R. ad 1^m Quæst.* Solus Papa dispensare potest in impedimentis dirimentibus ecclesiasticis, de jure ordinario, quia agitur de lege universalis Ecclesiæ in re gravissima. Constat ex praxi constanti Ecclesiæ, necnon ex variis Curiae Romanæ Decisionibus. *V. Comp. n. 861.*

1034. — *R. ad 2^m Quæst.* Episcopus dispensare potest in iisdem impedimentis *per accidens* tantum, urgente gravissima causa, ubi periculum moram non patitur, præsertim si matrimonium jam initum sit. Ita *communiter nunc Theologi*. Ratio est, quia in his casibus non censetur Summus Pontifex velle sibi reservare facultatem dispensandi, ex eo quod hæc reservatio verteret ad destructionem, non vero ad ædificationem : proinde merito

illius consensus præsumitur; de cætero hodierna consuetudo omne dubium quod prius subesse poterat circa illam quæstionem, omnino perimit. *S. Lig. n. 1122 et seq.*

1035. — *R. ad 3^m Quæst.* Valet matrimonium SYNESII et FLAVIÆ saltem *probabiliter*, et *probabilius* quidem ut videtur. Ratio est, quia, cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum altero; unus enim fieri nequit habilis ad nuptias cum altero celebrandas, quin hic etiam vicissim habilis evadat ad matrimonium cum illo ineundum, siquidem hæc omnino correlativa videntur. Adde quod Papa, Episcopum delegando, totum jus suum ei tribuit. Ergo valet Episcopi dispensatio, perinde ac si a Papa ipso concederetur. Hoc *probabile* dicit *S. Lig. n. 1142*. Insuper, si dispensatio non valeret pro utroque sponso, alter ad Papam recurrere deberet ut dispensaretur, si Episcopus proprius indulto ad dispensandum non gauderet. Sed ad quid tunc, quæso, inserviret dispensatio prior ab Episcopo obtenta? Igitur in praxi illa sententia tuto teneri potest; stante enim vera probabilitate de valore dispensationis pro utroque sponso, si forte non valeret, Ecclesia merito supplere censenda foret. Ergo de validitate matrimonii SYNESII inter et FLAVIAM minime ambigendum est. *V. Comp. n. 862.*

1036. — *R. ad 4^m Quæst.* 1° Si possit adiri Episcopus, v. g. si adsit in loco, dispensatio ab eo obtinenda est, necdubitandum quod in eo casu dispensare valeat. *S. Lig. l. 6, n. 613. — Layman, etc.*

2° Si recursus non possit haberi ad Episcopum, ut plerumque eveniet, et sponsi in ignorantia invincibili versari videantur, in bona fide sunt relinquendi, et nuptiæ permittendæ, donec dispensatio obtineri possit. *S. Lig. ibid., etc.*

3° Si sponsi vel unus eorum impedimentum cognoscat, maxima tunc habetur difficultas. *Probabilius* Parochus posset declarare, legem Ecclesiæ non obligare in tanta necessitate, et ad matrimonii celebrationem procedere; subinde autem, et quamprimum quidem, ad dispensationem pro cautela recurrere. Ita *S. Lig. de Pœnitentia, n. 613, et alii.*

Juxta alios permitti posset simulatio contractus matrimonialis, cum proposito dispensationem quamprimum postulandi. *V. Comp. n. 771.*

CASUS II.

CAUSÆ EXPONENDÆ.

NICETAS in crimen incestus lapsus est cum duabus sororibus, scilicet, RUFINA et LAURENTIA, sibi in tertio et quarto gradu consanguineis. Postea vero RUFINAM ducere exoptans, dispensationem a *Dataria* postulavit a quarto consanguinitatis gradu, tacendo tertium gradum, necnon copulam cum sponsa et illius sorore habitam. In alio autem supplici libello, ad *S. Pœnitentiariam* directo, impedimentum affinitatis ex copula illicita ortum solummodo expressit. Inito autem matrimonio, hæc in confessione declaravit. Quare Confessarius anxius hæret de matrimonii valore.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quænam in petitionibus matrimonialium dispensationum requirantur ad earum valorem?*

2^o *An in casu tertius gradus, seu propior, in petitione ad valorem dispensationis, exprimi debuerit?*

3^o *An invalidum fuerit matrimonium, propter omissionem circumstantiæ copulæ inter sponso habitæ?*

SOLUTIO :

1037. — *R. ad 1^m Quæ.* Sequentia in dispensationis petitione exprimenda necessario sunt: 1^o vera causa movens ad dispensationem postulandam; 2^o omnia impedimenta, etiam in specie infima, v. g. affinitas ex copula licita, vel illicita, 3^o gradus consanguinitatis, vel affinitatis, aut honestatis ex matrimonio rato; et si oratores sint conjuncti in secundo gradu attingente primum, illa circumstantia necessario exprimenda est; 4^o filiatio, aut compaternitas ex cognatione spiritali; 5^o copula incestuosa habita inter sponso, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa intentione illa; 6^o si agatur de matrimonio jam contracto, exprimi debet an bona vel mala fide initum fuerit, an clandestine, an consummatum sit. *V. Comp. n. 867.*

1038. — *R. ad 2^m Quæ.* *Negative;* licet enim, de stylo Curia, in linea inæquali uterque gradus exprimi debeat, attamen ad validitatem sufficit ut referatur gradus remotior a stipite, quia ille est a quo gradus numerantur. Excipitur, si oratores sint in secundo gradu attingente primum; tunc enim hæc circumstantia primi gradus necessario referenda est in petitione dispensationis, ut jam dictum est in numero præcedente.

1039. — *R. ad 3^m Quæ.* *Affirmative.* Ratio est, quia licet non sit impedimentum dirimens matrimonii *per se*, est tamen circumstantia necessario exprimenda in petitione dispensationis, ex eo quod dispensationem reddet difficiliorem. Ergo NICETAS iterum ad S. Pœnitentiariam recurrere debet, ut novam dispensationem obtineat, matrimonii convalidandi gratia. Interea autem ab usu conjugii omnino abstinere debet, ita ut nec debitum petat, nec reddat.

CASUS III.

CAUSÆ EXPONENDÆ 2^o.

GILBERTUS peccavit cum DELPHINA in secundo gradu consanguinitatis, ea intentione et communicato consilio ut dispensationem ad matrimonium contrahendum facilius impetrarent. Subinde Parochum rogat, ut sibi procuret dispensationem in secundo gradu consanguinitatis, expressa quidem copula, tacita vero intentione qua habita est. Inito autem matrimonio, stimulis conscientia agitatus GILBERTUS hanc intentionem Confessario aperit. Hic vero dubitat, utrum alia dispensatio sit obtinenda ad matrimonium convalidandum.

HINC :

QUÆR. 1^o *An prædicta dispensatio valida fuerit?*

2^o *Quid, si unus tantum e sponso hanc intentionem facilius obtinendi dispensationem habuerit, incestum patrando? An irrita esset dispensatio?*

SOLUTIO :

1040. — *R. ad 1^m Quæ.* Invalida fuit dispensatio, et proinde irritum matrimonium. Ratio est, quia tacita est circumstantia quæ necessario erat exprimenda, quia dispensationem multo difficiliorem reddit. Ergo primum ad novam dispensationem obtinendam recurrendum est.

1041. — *R. ad 2^m Quæ.* *Controvertitur.* Multi *negant*, teste *Lacroix, n. 924*; quia innocens non debet puniri ob malitiam alterius. *Affirmant* vero alii multi apud *Gobat, n. 625*, quia obligatio id exprimendi non est pœna, sed conditio requisita pro informatione Superioris dispensaturi. Posita autem controversia, pro valore dispensationis in eo casu standum est.

CASUS IV.

DISPENSATIO SUBREPTITIA 1^o.

1^o DIDACUS et SUSANNA, in secundo gradu consanguinei, incassum dispensationem ad matrimonium ineundum postularunt. Verum, instauratis post plures menses precibus iisdem, adductisque iisdem iterum rationibus, et repulsa prius habita silentio prætermissa, optatam gratiam impetrarunt. Sed, re cognita, Parochus de dispensationis valore dubitat, et inquirat an iterum ad S. Sedem sit recurrendum?

2^o FABIVS et AGNES, consanguinei in tertio gradu cum secundo mixto, petunt Romæ dispensationem, matrimonii contrahendi causa. Asserunt in supplici libello, nullam intervenisse copulam. Dispensatio concessa committitur Parocho ut dispense, *si preces veritate nitantur.* Parochus examinat sponso, et interrogat an copula intervenerit, vel non. Respondent non intervenisse ante petitam dispensationem, intervenisse autem postea. Tunc Pastor hæret, dubitans de validitate dispensationis. Insuper, cum omnia ad nuptias sint jam parata, et consanguinei hinc et inde advenerint, magis ac magis angitur.

HINC :

QUÆR. 1^o *An valuerit dispensatio in primo casu, prioris repulsæ nulla facta mentione?*

2^o *An in secundo casu nova requiratur dispensatio ad matrimonii valorem?*

3^o *Quid Parocho agendum?*

SOLUTIO :

1042. — *R. ad 1^m Quæ.* Valida est dispensatio a DIDACO et SUSANNA tandem obtenta. Nihil enim habetur ex parte oratorum quod valori gratiæ concessæ obstare possit. Nulla apparet *obreptio*, vel *subreptio* in causam moventem cadens, quum rationes veritati conformes allegaverint. Neque ex ullo jure naturali, vel positivo, probari potest eos fuisse obligatos prioris repulsæ mentionem facere. Aliquando quidem mentio fieri debet alicujus gratiæ jam prius concessæ, cum scilicet prior concessio alteram difficiliorem redderet : hic autem nulla gratia concessa est. Ergo nihil prorsus obstat validitati dispensationis obtentæ. Ergo Parochus, omni dubio propulso, DIDACUM matrimonio conjungere potest.

1043. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirmat.* si copula habita fuerit ante dispensationis fulminationem seu executionem : ex *Decisione Congregationis Concil.* ann. 1635, necnon ex stylo Curia Romanæ constat. Secus vero, si copula post dispensationis executionem habita fuerit; quia, applicata dispensatione, jam cessat incestus malitia. *S. Lig. n. 1141. — V. Comp. n. 872.*

1044. — *R. ad 3^m Quæ.* seu, quid in casu sit Parocho agendum?

1^o Nuptiæ ad aliud tempus differendæ sunt, v. g. ex aliquo prætextu, si id fieri potest absque nimio incommodo aut gravis infamiæ periculo.

2^o Re moram non patiente, recurrendum est ad Episcopum, si aditus ad ipsum pateat. Poterit enim tunc Ordinarius, aspecta gravissima necessitate, dispensationem concedere.

3^o Si Episcopus nequeat adiri, Parochus, tantis angustiis pressus, poterit ad matrimonii celebrationem procedere, et postea dispensationem saltem ad cautelam postulare, ut supra dictum est in primo casu, *de Dispens. n. 1036. — Reuter, n. 607.*

CASUS V.

DISPENSATIO SUBREPTITIA 2^o.

1^o QUIRINUS et GERMANA, ignorantes se quarto gradu consanguinitatis ligari, crimen turpe patrarunt. Cognito postea cognationis vinculo, incestum pluries adhuc commiserunt. Initis sponsalibus factisque proclamationibus, emergit impedimentum. Tunc a Sede Apostolica postulant, ut, impedimento cognationis sublato, ipsis liceat matrimonio jungi. Narrant vero in supplici libello, se copulam habuisse, cognationis ignaros, tacito incestu post cognitam consanguinitatem patrato. Dubitant autem postea, utrum dispensatio valeat.

2^o SYLVERIUS a Sede Romana dispensationem impetravit ad contrahendum matrimonium cum SYLVIA, sibi in tertio gradu consanguinea. Verum, contracto matrimonio, incipit dubitare utrum dispensatio subreptitia ac nulla fuerit, ex eo quod in petitione nullam mentionem fecerit de voto Religionis ingrediendæ, quo se obstrinxerat. Cum autem in proximo periculo incontinentiæ versetur, quærit an ab Episcopo ab his impedimentis dispensari possit?

HINC :

QUÆR. 1^o *An dispensatio valida fuerit in primo casu?*

2^o *An valida in secundo casu?*

3^o *An Episcopus in secundo casu dispensare potuerit?*

SOLUTIO :

1045. — *R. ad 1^m Quæ.* Invalida fuit dispensatio, utpote subreptitia. Etenim oratores de incestu formali a se patrato omnino siluerunt, et tantum mentionem fecerunt de incestu materiali, qui nullam ingerebat difficultatem. Circumstantia autem incestus formalis multo difficiliorem reddit dispensationem, et ideo ejus declaratio a Curia Romana requiritur quoties intercessit. Etenim, ut declaravit *Bened. XIV* in *Bulla Pastor bonus*, circumstantia copulæ *incestuosæ* necessario exprimenda est ab oratoribus consanguineis, ut dispensatio valida obtineatur ab impedimento consanguinitatis; lex autem Ecclesiæ lata est non in odium, seu pœnam copulæ, sed incestus, siquidem circumstantia copulæ non est exprimenda ab aliis oratoribus, dispensationem de aliquo alio impedimento petentibus. Ergo, si incestus fuerit materialis, non est exprimendus, ut in primo casu, in quo sponsi ignorabant se esse consanguineos. Secus vero, si fuerit formalis, ut in secundo casu, detecto nempe consanguinitatis impedimento. Ergo oratores dolo, fraude et mendacio dispensationem obtinuerunt, siquidem Summus Pontifex videtur motus ad gratiam concedendam ex eo quod nullus incestus formalis fuerit patratus. Ergo subreptitia fuit dispensatio, cum unico impedimento expresserint ubi duplex erat referendum, imo et secundum negando, postulationem mendacio instruxerint. Ergo ruit concessa gratia utpote conditionalis tantum, nimirum, *si preces veritate nitantur*; ergo invalidum matrimonium. *Comitolus, l. 1, q. 104.*

1046. — *R. ad 2^m Quæ.* Nulla pariter hæc altera dispensatio habenda est. Etenim in supplici libello ea omnia exprimenda sunt, quæ dispensationem difficiliorem reddunt : atqui in casu dispensatio difficilior redditur, cum orator pluribus impedimentis obstrictus sit, quam si uno tantum irretitus esset. Ergo unum impedimentum tacendo, scilicet, votum Religionis ingrediendæ, graviter Pontificem deceptit; ergo fraudulenter gratiam petitam obtinuit; ergo ruit concessio, utpote subreptitia; ergo invalidum fuit matrimonium. *Elbel, n. 508.*

1047. — *R. ad 3^m Quæ.* Episcopus in tali casu dispensare potest : etenim Episcopus dispensare valet in impedimentis occultis, Jure ecclesiastico introductis, ubi urget necessitas, seu instat periculum animarum, præsertim matrimonio jam contracto; atqui in nostro casu supponitur adesse vera necessitas, seu instare periculum animarum, et insuper impedimentum est occultum : ergo... Nec dicas, hic agi de impedimento consanguinitatis, quod est publicum natura sua; nam licet publice constet SYLVERIUM contraxisse cum consanguinea, omnes tamen supponunt et credunt impedimentum illud, dispensationis beneficio, fuisse sublatum : ergo remanet impedimentum occultum; ergo Episcopus dispensare potest. *Elbel, n. 508, — Sanchez, Tamburinus, etc.*

CASUS VI.

DISPENSATIO OBREPTITIA.

LONGINUS et PELAGIA, tertio affinitatis gradu conjuncti, sponsalia ineunt cum proposito dispensationem ab impedimento petendi. Ille vero, cui cura hujus dispensationis petendæ demandata est, in supplici libello scripsit sponso turpem inter se rem habuisse; si autem dispensatio denegetur, futurum esse ut sponsa infamiam gravem subeat, cum periculo aliud conjugium non inveniendi. Verum sane erat infamiæ periculum, ob nimiam familiaritatem inter sponso obortam, et late divulgatam; at verum non erat eos copulam inter se habuisse. Judicavit Parochus dispensationem obreptitiam esse, et proinde nullam. Inde factum est, ut sponsi ad aliud tempus matrimonium remitterent. Postea vero contigit ut peccatum turpe patrarent, prole quoque suscepta. Igitur dispensationem iterum postulant ab impedimento, et ad prolem legitimandam. Sed proles obiit cum dispensatio jam fuisset executioni per Commissarium demandata, matrimonio tamen nondum celebrato.

HINC :

- QUÆR. 1° *An prima dispensatio valore destituta fuerit, ob falsam circumstantiam incestus adjectam?*
 2° *An dispensatio altera vim suam amiserit, ob mortem prolis quæ post ejusdem executionem subsequuta est?*
 3° *Quid, si proles obierit ante concessam dispensationem, vel post concessam quidem, sed nondum fulminatam?*

SOLUTIO :

1048. — *R. ad 1^m Quærs. Neg.* Etenim, si dispensatio invalida foret, hoc proveniret, vel propter circumstantiam incestus adjectam in se, vel propter infamiam, quæ supposita est inde secutura; atqui neutrum dici potest.

1° Quidem dispensatio non est invalida ob circumstantiam incestus falso suppositam; nam illa circumstantia in se spectata, nedum impellat Pontificem ad gratiam facilius concedendam, e contrario eam difficiliorem reddit, et ideo de jure exprimi debet necessario, quando adest. Ergo illa circumstantia falso apposita, non censetur determinasse Papam ad favorem concedendum, siquidem eum potius cohibuisset; ergo, ex illa parte dispensatio invalida non est propter errorem.

1049. — 2° Sed neque irrita videtur, ex eo quod allegata fuerit infamia inde secutura pro sponsa, nisi nubat; etenim illa causa non est falsa, sed vera: non quidem ex incestu proveniens, sed ex nimia familiaritate sponsorum, quæ longe lateque est divulgata. Ergo, si Pontifex motus est ad gratiam elargiendam ob illam causam, non fuit deceptus, cum vere causa subsistat, et preces reapse veritate nitantur. Ergo neque ex illa parte caduca est dispensatio. Ergo false judicavit Parochus dispensationem illam esse obreptitiam, et proinde nullam.

1050. — *R. ad 2^m Quærs.* Dispensatio posterior minime cessavit per mortem prolis. Ratio est, quia, cum dispensatio jam executioni mandata fuerit, seu a Delegato S. Sedis oratoribus applicata, eo ipso impedimentum sublatum est: porro, sublato impedimento, nulla dispensatio amplius necessaria est, et nihil subsistit quo matrimonium impediatur.

1051. — *R. ad 3^m Quærs.* In hypothesi cessaret dispensatio, et proinde alia requirenda esset. Ratio est, quia causa dispensandi jam non amplius subsisteret, et quando Delegatus gratiam oratoribus applicaret, jam preces non amplius veritate niterentur: porro veritas causæ non solum existere debet tempore quo dispensatio conceditur a Pontifice, sed perseverare debet usquedum a Commissario seu a delegato applicetur, quia tunc proprie gratia conceditur. *S. Lig. n. 1132. — V. Comp. n. 868.*

CASUS VII.

DISPENSATIO PRO ITERATA COPULA.

1° RICULFUS, cupiens inire matrimonium cum MARTINA jampridem sibi desponsata, a Confessario petit ut dispensationem a S. Pœnitentiaria impetret de impedimento affinitatis, in quod incurrerat peccando pluries carnaliter cum sponsæ suæ consanguinea in secundo gradu. Confessarius pœnitenti morem gessit. Sed heu! priusquam dispensatio adveniret, RICULFUS, ex humana fragilitate, denuo cum eadem consanguinea sponsæ lapsus est. Quamobrem dubitat anxius Confessarius an, hoc non obstante, dispensationem executioni mandare possit.

2° MARIUS et ANNA, consanguinei, dispensationem a Sede Romana petunt ut matrimonium inire possint, et dicunt, se incestum simul commisisse. Sed, dato Pontificio responso, sponsi incestum iterant, tum ante, tum post dispensationis fulminationem. Id rescians Parochus nescit an alia dispensatio postulanda sit. Attamen pro ejus valore præsumit, et matrimonium benedicit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An valeat dispensatio in primo casu, non obstante copulæ repetitione?*
 2° *An valida esset, si RICULFUS denuo peccasset, dispensatione jam fulminata?*
 3° *An valida fuerit dispensatio MARI et ANNÆ, licet incestum iteraverint, tum ante, tum post fulminatam dispensationem?*
 4° *An recursus haberi debeat ad S. Pœnit. pro incestu occulto, dum petitur a Dataria pro impedimento publico?*

SOLUTIO :

1052. — *R. ad 1^m Quærs.* Valet dispensatio, non obstante copulæ repetitione. Ratio est, quia RICULFUS, iterando peccatum cum eadem consanguinea, non contraxit duplex impedimentum; etenim, si decies peccaverit cum eadem muliere antequam dispensationem petat, non tenetur

numerum peccatorum in supplicatione exprimere, quia unicum affinitatis impedimentum constituunt: porro non magis multiplicatur affinitas, si peccatum, petita jam dispensatione, iteretur; quia tales dispensationes sortiuntur effectum suum, non a die missionis, sed a tempore executionis. *Elbel, n. 504. — V. Comp. n. 871.*

1053. — *R. ad 2^m Quæst.* Si RICULFUS peccasset denuo, jam fulminata dispensatione, nihilominus adhuc valida esset dispensatio, nec proinde iterari deberet. Ratio est, quia jam affinitas per dispensationem sublata foret quoad effectum matrimonium contrahendi, et proinde copula non esset amplius incestuosa. Constat ex Declaratione *S. Congr. Conc. — V. Comp. n. 871.*

1054. — *R. ad 3^m Quæst.* Valida fuit dispensatio a MARIO et ANNA obtenta, licet incestum iteraverint, tum ante, tum post fulminatam dispensationem. Etenim, si peccatum iteretur ante executionem gratiæ, incestus moraliter idem est, nec numerus copularum exprimi debet. Si vero iteretur fulminata dispensatione, jam Ecclesiæ prohibitio de medio sublata est, nec quidpiam superest quod matrimonium impediat, ut supra dictum est in responsione ad 2^m *Quæsitum*: ergo in nullo casu nova dispensatio postulanda est.

1055. — *R. ad 4^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia illa circumstantia constituit verum matrimonii impedimentum, siquidem, de jure, necessario in supplici libello exprimenda est: ergo, ad validitatem matrimonii, illa circumstantia declarari debet. Porro, cum nulla sit obligatio hanc circumstantiam occultam et probrosam manifestandi in petitione ad Datariam directa, sequitur eam apud Pœnitentiarium declarandam esse. *S. Lig. n. 1134*, dicit non esse amplius de hoc dubitandum, post Bullam *Benedicti XIV: Pastor bonus.*

CASUS VIII.

ERROR IN DISPENSATIONE.

MAGLORIUS, amplissimi loci Parochus, aliquando dispensationem ab impedimentis matrimonii pro subditis petendo, ex incuria, aut nimia festinatione, aut culpabili errore posuit in supplici libello *Petrum pro Paulo*, impedimentum *affinitatis* pro impedimento *consanguinitatis*, affinitatem *ex copula licita* pro *illicita*, gradum *tertium* pro *quarto*, aut vice versa.

Alias advertit errores similes in responso, seu in concessione gratiæ, ex parte Scribæ S. Congregationis irrepsisse, scilicet, mutata fuisse ea quæ recte ab ipso posita fuerunt; imo pluries sua propria errata a Scriba inscio emendata fuisse. Quare variis ambagibus circa dispensationis valorem in his casibus intricatur.

HINC:

QUÆR. 1^o *An valeat dispensatio, si irrepit error ex parte petentis?*

2^o *An valeat dispensatio, si ex parte concedentis gratiam, aut ejus Scribæ, error proveniat?*

QUÆR. 3^o *Quid, si Superior inscius errorem petentis correxerit?*
4^o *Quid ad varios casus?*

SOLUTIO:

1056. — *R. ad 1^m Quæst.* Non valet dispensatio si error versetur circa causam moventem, aut circa objectum ipsum dispensationis, sive ex culpa oratoris, sive alterius, sive ex mera inadvertentia advenerit. Ratio patens est, scilicet, quia superior concedit gratiam conditionate, nimirum, *si preces veritate nitantur*; atqui, in hypothesi, non sunt veritati conformes: ergo ruit dispensatio. *V. Comp. de Legibus, n. 117 et 119.*

1057. — *R. ad 2^m Quæst.* Valet dispensatio. Ratio est, quia Superior censetur gratiam concedere ad mentem petentis, seu dicere: *Fiat ut petitur*. Proinde error irrepens in rescripto, concessioni jam factæ supervenit.

R. ad 3^m Quæst. Dispensatio, in hypothesi, invalida esset. Ratio est, quia ruit dispensatio tempore quo a Superiore conceditur, propter errorem in causam moventem, aut in ipsum objectum cadentem. Atqui dispensatio a principio invalida, nequit valida fieri in rescripto concessionis; siquidem error, seu falsitas ex parte petentis non ideo cessavit, nec Superior, erroris inscius, voluit vitium petitionis emendare, etiamsi ipsemet propria manu rescribat. Ergo...

1058. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o Valet dispensatio quando Parochus, libellum conficiens, errat in persona, aut in nomine, ponendo *Petrum* pro *Paulo*, saltem *probabilius*, modo constet de corpore, seu de impedimento et de causa, quia Superior gratiam concedit pro illo qui ea indiget, non pro alio: quare error ille *accidentalis* videtur. *V. Comp. n. 875.*

1059. — 2^o Non valet dispensatio, quando Parochus errat in impedimento, et etiam in specie infima impedimenti, v. g. ponendo affinitatem ex copula *licita* pro *illicita*; quia error afficit ipsum petitionis objectum. Neque valet dispensatio, quando ponit *quartum* gradum pro *tertio*, quia tertium in quarto non continetur, proindeque gravis error circa objectum datur. Secus vero, si ponat *tertium* pro *quarto*, quia tunc Superior concedens majorem gratiam, a fortiori concedit minorem in eodem genere, seu evidenter in majori contentam.

1060. — 3^o Valet dispensatio, quoties errorem posuit in rescripto sive Superior ipse, sive ejus scriba, ut supra dictum est, in responsione ad 2^m *Quæsitum*. Non potest autem gaudere bonus Parochus, ex eo quod Scriba S. Congregationis inscius suos proprios errores correxerit, quia post concessionem correcti sunt, et proinde inutiliter. Attendat igitur Pastor in posterum, ut ipsemet ab erroribus in supplici libello conficiendo præcaveat.

CASUS IX.

MATRIMONII REVALIDATIO 1^o.

1^o MELANIA, metu gravi a parentibus ad matrimonium coacta, primum invita quidem, sed paulatim tristitiæ oblita, libentius dein cum marito pluribus annis cohabitavit. Dum autem generaliter confiteretur ad scrupulum